



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Furseus Conf. 16. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

divinam facit (homini Cælitibus inservientibus) & in laboris præmium vestem aufert mirè candidam, eaque sive materiâ sive arte , quam mirari oculus humanus semper , agnoscere potuit nunquam. Simile sperare postea ausus è successoribus unus, eòdem se contulit. Verum quia merita hominis abludebant, dissimilis pullus dissimili modo acceptus, & arcana vi domum suam est deportatus. At Bonitus sponte infulam abjecit, vel , ut rectius loquar, cum coronâ commutavit , quam ei cum locos sacros plurimos lustrasset , à morte (cujus ipse sibi vates fuit) cælum decrevit , anno post Servatoris adventum DC. LXXXV. Ex Surio.

Qui cupiunt strenuè spirituales persolvere laudes, representent se coram Dei iuribunali, & ipsum in spiritu presentem habeant, uti est, nihil que inter se & eum habere velint, sed tranquam amicus cum amico colloquuntur Domino. B. Laur. Just. de discip. Monast. Conversat.

S. FURSEUS CONF. 16. Ianuarii.

EX Angliâ FVRSEVM ascivimus. Juventa ejus prodigiis plena reliquæ vitæ prælusit. Post hanc à Musis transiit ad monachos ; mox doctor sanctioris vitæ & cœnobii conditor, in quod paſſim vinctos oratione suâ à mundo abstraxit. Interea sub annum DC. XLIV. semel iterumq; animo è mortali corpore exiit, ductoribus Angelis bonis, qui vel ignea malorum tela clypeo exciebant, vel quas de minimis etiam vitæ noxiis adversarii neceſtebant accusationes diluebant. Jam verò è cæli speculâ orbem contemplatus, cum à quatergeminâ scelerum flammâ (perfidiam, rerum fluxarum cupiditatem, discordiam, atque in mife-

.kos

ros crudelitatem Angeli dicebant) ardere omnem didicisset, cùm à cælestibus Choraulis levem omnem laborem quantumvis magnum, omne tempus quantumvis longum, ad æternitatem breve esse audiisset, à binis è numero Divorum Præsulibus jussus est ad corpus redire, & flagitosos ad frugem reducere. Grave illi fuit à Cælitum societate avelli, præsertim ubi ad animæ domicilium corpus exanime ventum est. Ingressus tamen Angelis suadentibus toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cælumque oratione suâ depinxit, annosque porrò XII. sceleratis in viam reducendis impendit. Posthæc cùm Romam pietatis causâ contenderet, prius vitam quām viam emensus est. Integritatis testimonium demortuo corpusculum dixit quarto ab obitu anno, & ipsum integrum. Animus illuc ivit, quò assueverat jam ire. *Ex Surio.*

Fugiantur noxia voluptates, inimica gaudia, & desideria jam jamque peritura. Quis enim fructus est ea indesinenter cupere, que etsi non desinant, deserenda sunt? Amor rerū deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad sublimia vocatus animus cælestibus delectetur. S. Leo serm. 5. de Epiph.

S. ANTONIUS MAGNUS. 17.Ianuarii.

Agyptius erat ANTONIVS, & domi suæ nobilis. In primo ætatis flore mundo moriturus ex affe pauperes hæredes scribit, subinde vitoriis adversus hominum hostes malos genios nobilitatus; ab iis plagis aliquando pessimè acceptus, dum JESVM suum familiariū deinde rogat, ubi id temporis fuisset, adfuisse spectatore pugnæ audit. Tam propè à Deo absimus, etiam cùm longè abesse nos putamus. Alias dum mundū æquioribus